

# DE IMPOTENTIA MULIERIS EX VAGINISMO ORTA DICTAMEN

## SPECIES FACTI

Pia, annos nata viginti et unum, Alexandro, vigesimum quintum annum agenti, die 15 aprilis 1923 in paroeciali ecclesia S. Antonii foedere matrimoniali sese devinxit.

Inde a pueritia conjuges conversatione familiari amicitiaque utebantur. Nihilominus Alexandrus nec laetus nec sponte sed potius invitus et morem gerens adhortationibus parentum, duxit Piam, quae amore erga eum flagrabat.

Haud feliciter cessit matrimonialis vita. Nam defectui amoris mariti erga uxorem adjectus est, uti contenditur, infaustus exitus tentaminum consummandi matrimonium ob dolores, quos experiebatur uxor in conatibus actus matrimonialis. Tentaminibus aliquoties frustra, ut edicitur, iteratis, separationem tori instauraverunt et vir taedio ac moerore captus uxorem desserere coepit.

Separatio vitae integra, anno 1927, a Tribunali civili sancita est. Itemque vir Tribunali ecclesiastico libellum porrexit expetens declarationem nullitatis sui matrimonii cum Pia ex capite vis et metus. Prolata sententia actoris votis adversa, ultra per hanc viam non est progressum.

Uxor autem, die 3 junii 1939, nullitatis declarationem ejusdem matrimonii ex capite impotentiae ipsius ob vaginismum a Tribunali ecclesiastico expoposcit, sententiam sibi faventem adipiscens. Appellante Vinculi Defensore, causa pervenit ad Tribunal X. X., quod priorem sententiam confirmavit, statuens constare de nullitate matrimonii ob mulieris impotentia, addita tamen clausula: "cui (mulieri) ideo prohibetur omnino transitus ad alias nuptias".

Facta sententia executiva, ut legimus in nota Cancellariae supra memorati Tribunalis: "cum sit alterius sententiae confirmatoria, cumque adversus eam Vinculi Defensor non appellaverit, ad tramitem can. 1987 "Cod. Juris canonici" actrix a Sacra Congregatione de Disciplina Sacramentorum expostulavit ut sibi liceret matrimonium inire "con persona che